

tute sua plastica conseruare, atque per illud incubi officio defunctus humanam generare potest prolem.

§. VIII.

Et quisquis etiam consideret, humanae generationem prolis diuinae vi benedictionis, sub mundi initium toti generi humano factae, de qua Gen. I, 28. *Benedixit DEUS Mari et foeminae, et dixit: Crescite et multiplicamini, et replete terram*, fieri, ut ipse DEUS homines in utero formare et conseruare Iob. X, 8. seqq. Psalm. CXXXIX, 14. seqq. et liberos dare Gen. XXX, 2. Psalm. CXXVII, 3. dicatur, et Rabbinus DEO clauem uteri soli vindicent, qua matricem aperiat ad concipiendum et pariendum, nunquam Caco-daemonem ex congressu cum homine, liberos suscipere posse, concedet. Absit enim, ut DEUM horrendo Diaboli huic cum lamiis congressui benedicere, homines producendo, dicamus. confer. 2. Corinth. VI, 14. 15. Plura argumenta nunc adferre, non est opus, videri possunt apud *Osiandrum* l. c. p. 157. seqq. *Goldschmid* in dem höllischen Morpheo p. 339. seqq. *Schottum* in *Physica curiosa* L. I. C. XXII. pag. 64. seqq. *Sperlingium* l. c. *Christ. Scheibler*. Oper. *Metaphysic.* L. II. C. IV. Tit. XIV. p. 218. seqq. *Rudrauffium* *Instit. Metaph.* Part. special. C. III. Th. XIV. p. 945. seqq. *Schütze* in *Apparatu Biblico* Tom. I. p. 1080. seqq. et, qui ex professo de hoc argumento egit, *M. Panecium* *Disp. de generatione Diaboli cum sagis Vittenbergae* 1693, *Ernestus Fridericus Schröter* / *ICtus Ienensis* *Disp. Iurid. de Lamiis* Resp. Autor. *Michaelis Paris Walburger* Ienae 1670. habita C. XXXIV. p. 62. seqq.

§. IX.

Quae vero omnia de causa generationis Physica intellecta volumus. Quin enim Diabolus causa moralis esse potest, actiua passiuus applicando, varios in rebus motus et alte-

alte-